



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Vtrum reproborum corpora cum deformitatibus resurgant quas hic
habuerunt. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

cens, cogitantibus resurrectionem carnis, & ideo non credētib⁹ occurrit infirmitas. Sed quēadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli igne liquefceret, vel contereretur in puluerē, vel cōfunderetur in massā: & eam vellet artifex rursus ex illius materia & quantitate reparare, nihil inter-esset ad eius integritatē, quę particula materię cui mēbro statuz redderetur, dum tñ totum ex quo cōstituta fuerat, restituta resumerēt. Ita Deus mirabiliter atq; ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra extiterat, eam mirabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad ei⁹ redintegrationē, vtrum capilli ad capillos redeāt, & vngues ad vngues: an quicquid eorū perierat, mutetur in carnē, & in partes alias corporis reuocetur: curāte artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. Indecorum quippe aliquid ibi nō erit: sed quicquid ibi futurū est, hoc decebit: quia nec futurū est, si non decebit.

Quod sancti sine omni deformitate resurgent.

*Aug. in eodem Enchi-
cap. 91.*

Hoc autem in corporibus sanctorum intelligendum est, de quibus consequenter adiungit. Resurgent ergo sanctorum corpora sine vilo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate: in quib. tanta facilitas quanta felicitas erit: propter quod & spiritalia dicta sunt cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Ex his apparet, quod vna erit ætas omnium resurgentium, scil. iuuenilis: statura vero diuersa scil. quam quisque habuerat in iuuenili ætate, vbi erat habiturus, si ante est defunctus. Nec de substantia, de qua hominis caro creatur, aliquid peribit: sed omnium particularum ante dispersarum collectione, reintegrabitur naturalis substantia corporis. Sanctorum quoque corpora sine omni vitio fulgida, sicut sol, resurgent, præcis cunctis deformitatibus, quas hic habuerunt.

Matth. 13. f

Si mali tunc habeant, quas hic habuerunt deformitates.

De reprobis a. quæri solet, an cum deformitati-
 bus his habitis resurgant? Hoc a. Aug. non asserit, *In Ench. ca.*
 sed dubium reliquit, ita inquit, Quicumq; ab il- *92. in princ.*
 la perditionis massa, quæ per Adam facta est, non
 liberantur per Christum, resurgent quidem etiam *Matth 25. d*
 ipsi, vnusquisq; cum sua carne. sed vt cum diabo-
 lo eiusq; angelis puniantur. Vtrum vero ipsi cum
 vitijs & deformitatibus suorum corporum resur-
 gant, quæcunq; in eis gestarunt, inquirendo labo-
 rare quid opus est? Non enim fatigare nos debet
 incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quo-
 rum erit certa & sempiterna damnatio. Ecce non
 definit, an tunc habeant deformitates, quas hic
 habuerunt reproborum corpora.

Quod non consumuntur corpora, quæ tunc ardebunt. E

Si vero quæritur de corporibus malorum, quo-
 modo in igne ardeant, & non consumantur? Aug.
 varijs exemplis astruit, & sempiternis ignibus ea
 ardere, & non consumi illa combustione: sicut a- *De civ. Dei,*
 nimus cuius præsentia corpus viuit, & dolorem *lib. 21. c. 1. 2.*
 pati potest, mori autem non potest. Hoc enim e- *3.*
 rit tunc in corporibus damnandorum, quod nunc
 esse scimus in animis omnium.

Si demones corporali igne cremantur. F

Quæri etiam solet, an demones corporali igne
 ardeant? Ad quod Aug. respondens ait. Cur non
 dicamus (quæuis miris, veris tamen modis) etiam
 spiritus incorporeos posse pœna corporali ignis af-
 figi, si spiritus hominum etiã incorporei, & nunc
 potuerunt includi corporalibus membris, & tunc
 poterunt corporum suorum vinculis insolubili-
 ter alligari? Gehenna illa, quæ stagnum ignis & *Apoc. 19.*
 sulphuris dicta est, corporeus ignis erit: & crucia-
 bit damnatorum corpora vel hominum, vel dæ-
 monum: sed solida hominum, aerea dæmonum.
 Vnus n. vtriusq; ignis erit, vt veritas ait. De quo i-
 gne si quæritur, qualis vel vbi sit. Aug. sic respōdet,

Mmm 3

ign s